

nach Cic. Tusc. 5,8-9

Pythagoras clarissimus omnium philosophorum fuit, qui ante Socratem vixerunt/fuerunt.

Olim Phliuntem venit, quod oppidum in Peloponneso (situm) est, ibique cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruit quaedam.

cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leo(n), quaesivit ex eo, qua maxime arte/ cui maxime arti confideret;

at ille respondit artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum.

admiratus Leo(n) novitatem nominis quaesivit, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset.

Pythagoras autem respondit: „Similis mihi videtur vita hominum et ii ludi sollemnes/festi, qui habentur maximo apparatu totius Graeciae celebritate;

nam illic alii corporibus exercitatis gloriam petunt, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro / studio ducuntur/moventur;

est autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaerunt, sed visendi causa veniunt studioseque perspiciunt, quid agatur et quo modo;

item in hac vita alii gloriae serviunt, alii pecuniae.

rari autem sunt, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intueantur; hos sapientiae studiosos – id est enim philosophos – appello“.